



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

969. An, & quam, præter legitimam causam, suppressio requirat solennitatem, dum sit potestate ordinariâ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

tamen circa hanc causam probationem notandum cum Corrad. l. c. n. 37. & seq. ex Gratian. l. c. quod, quando hac causa notoria est, & per se patet, non eget aliâ probatione; cum habeatur pro probata, sufficitque, quod fuerit in suppressione talis causa allegata & expressa, quamvis alias dicta expressio requireretur; cum notorium habeat vim expressionis, & idem operetur, quod ipsa expressio, ut *Surdus conf. 324. n. 6. l. 3.*

2. Respondeo secundò in specie: Ad justificationem causam ex tenuitate reddituum, ea probanda est, cum beneficia de sui natura præsumantur congrua, hoc est, habere redditus pro congrua sustentatione beneficiati sufficientes. Ventrigl. l. c. n. 19. citans Barbof. de por. Ep. p. 3. alleg. 67. n. 5. & seq. Idem est de diminutione reddituum. Castrop. cit. §. 9. n. 1. ubi: si probatum non fuerit, redditus ita diminutos esse, ut non sufficiant ad beneficiatos honeste alendos, cultumque divinum rite peragendum, nequaquam poterit alius à Papa numerum beneficiorum minuire. Reditus enim cujuscunque beneficii præsumuntur sufficientes, pro hoc hucusque fuerunt. Lott. cit. q. 28. n. 28. citans Gl. in c. fin. v. sufficiebant, de presump. imò præsumuntur potius aucti, quam diminuti. Lott. n. 89. citans Angel. conf. 274. n. 4. & Rot. in Callagur. benef. 13. Feb. 1606. Cumque imputandum sit ei, qui beneficium depauperatum accepit, in hoc casu requiritur justificatio depauperationis accidentis post ipsam acceptationem. Lott. cit. n. 91. & 92. Non sufficit autem probatio generica per testes adponentes simpliciter, fructus esse diminutos, ut Lott. n. 81. dicens, sic Rotam se informante rejecisse talem probationem in Callagur. benef. 28. Nov. 1605. sed diminutio valoris specificè cum sua causa, etiamque perpetuâ, & non temporariâ, est articulanda. Et hunc in finem, ubi causa illa diminutionis testibus cognita non est, valor per decem annos continuos retractos, computato fertili cum sterili, altimandus. Lott. cit. n. 81. & 82. Atque ista diminutio non probanda simpliciter, sed etiam habito respectu, ut dictum, ad quantitatem constitutam ab initio foundationis, & ad hoc, quod persona idonea non possit decenter vivere ex fructibus sic diminutis. Lott. n. 85. juncto n. 83. Corrad. cit. c. 8. n. 35. Illud etiam hic notandum ex eodem Lott. n. 86. & 87. quod si hinc inde facta sint probationes super sufficientia & insufficientia, seu super non diminutione & diminutione, prævaleat probatio pro sufficientia, & non diminutione, non solum favore cultus divini (cum ad eum pertineat, in qualibet Ecclesia haberi quamplures beneficiatos, & tot, quot possunt ex redditibus sustentari, ut Abb. & alii in c. 1. de institut.) sed etiam ratione verisimilitudinis & præsumptionis; cum, ut dictum, redditus cujuscunque beneficii præsumantur sufficientes, & non diminuti.

*Quæstio 969. An, & quas, præter legitimam causam, suppressio requirat solemnitates, dum fit potestate ordinariâ?*

**R**espondeo primò: Ad validitatem suppressionis requiritur copulativè causa, & solemnitas. Corrad. cit. c. 8. n. 54.

2. Resp. secundò: Solemnitas hæc consistit primò in cognitione causæ sufficientis. Corrad. ibi n. 22. juxta ea, quæ dicta sunt supra in hoc puncto de unione.

3. Secundò in requisitione consensus Capituli Cathedralis; ita ut, si in suppressione Canoniciatum, alicujus etiam Ecclesiæ Collegiatae, ob tenuitatem reddituum præter illius Ecclesiæ Collegiatae

consensum non interveniat consensus Capituli Cathedralis, suppressio & unio reddituum illorum sit nulla ipso jure. Ventrigl. Tom. 2. annot. §. 2. n. 45. Castrop. l. c. Corrad. l. c. n. 25. 26. juncto n. 30. ubi, quod, in alienatione consensus Capituli non requiritur, uti persona habentis interesse; sed solum, tanquam solemnitas, & n. 54. ubi, quod consensus ille Capituli Cathedralis omnino intervenire debet pro solemnitate, pro quo etiam ibi citat Monetam de communit. ult. vol. c. 12. q. 6. n. 115. & Cavaler. decis. 439. & propterea non sufficit consensus Ecclesiæ Collegiatae, cujus præbenda vel beneficia supprimuntur; dum verò supprimuntur Canoniciatus Cathedralis, dictus consensus Capituli Cathedralis requiritur, & tanquam solemnitas, & tanquam persona habentis interesse. Unde jam non subsistit illud, quod tradit Castrop. l. c. n. 2. ex Gratian. quem citat Castrop. c. 278. n. 30. nempe quod possit post diminutionem (intellige numeri Canoniciatum) intervenire ille consensus; quia in ejus gratiam cavetur expressè, si id intelligatur de consensu Capituli Cathedralis; secus, si de consensu Capituli illius Ecclesiæ, cujus præbenda vel beneficium supprimuntur, de quo posteriore consensu loqui videtur, & de eo loquitur Gallemart in Remissionib. ad Trid. sess. 24. c. 15. dum cum Gratiano dicunt, nullitatem unionis (idem est de suppressione) ob defectum consensus Capituli non posse opponi, nisi à Capitulo, cui soli hæc exceptio concedatur. Sed necesse est, hunc consensum Capituli Cathedralis, quatenus est solemnitas, adeoque pro forma requiritur, intervenisse tempore suppressionis, & non esse satis, ut superveniat, secus ac accidit in consensu præciso requisito, ut personarum interessatarum, juxta dicta supra de unione; siquidem, ut ait Corrad. n. 28. materia suppressionis in requisitis necessariis, eo præcipue in necessitate causæ fraternitatis communione. Dixi: cum suppressio sit ab Ordinario; dum enim fit à Papa, dictus consensus minime est necessarius, Corrad. n. 29. qui etiam solus potest supplere omnes defectus, qui in hujusmodi suppressione potuissent intervenire. Corrad. n. 55. citans Rot. in d. u. s. m. b. n. 4. Jul. 1610. Tamen igitur dictus consensus Capituli, qui in hujusmodi suppressione pro illius validitate, etiam ad præscriptum Trid. est omnino adhibendus copulativè cum legitima causa, dum suppressio fit auctoritate ordinariâ, & aliâ suppressio reddatur nulla. Corrad. n. 40. Veruntamen ubi tantum temporis effluxit, quod faciat præsumere solemnitates à jure requisitas, supponitur hunc consensum intervenisse. Corrad. n. 42. citans Menoch. præsump. 75. n. 24. l. 2. Felin. in c. Albericus. de rescriptis. n. 4. Burtar. conf. 424. l. 4. quia licet non præsumatur, nisi probetur, ut Felin. in c. sicut. de rescriptis. 26. Boerius decis. 345. n. 5. Corrad. cit. n. 42. tamen ex temporis diuturnitate præsumitur intervenisse etiam non enunciatus in suppressione, quatenus lapsum fuerit tempus 30. annorum. Corrad. n. 43. Vide de hoc dicta supra de eodem consensu requisito ad unionem.

*Quæstio 970. Quorum præterea tanquam personarum interessatarum, & ideo votandorum consensus requiritur?*

**R**espondeo primò: Ecclesiæ illius, cujus beneficium supprimitur, ut constat ex jam dictis, uti & ex declaratione S. Congregationis, ad Trid. sess. 24. c. 15. apud Gallemart, declarante, per consensum Capituli, quem requirit ibi Tridentinum ad suppressionem, intelligi consensum Capituli illius Ecclesiæ, in qua fit reductio præbendarum.